



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 20. De Intellectu, & Voluntate Christi Domini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

DISPUTATIO XX.

DE INTELLECTU, ET VOLUNTATE CHRISTI DOMINI.

853. **C**onstat contra Monothelitas, dari in Christo Domino duas voluntates, & duas volitiones, humanam scilicet, & divinam. De divina voluntate, quæ realiter identificatur cum volitione divina, agitur in materia de voluntate Dei. Ad hunc verò tractatum spectat agere de voluntate creata Christi. Nota tamen, quod si Honorius 1. Pontifex in duabus suis Epistolis ad Sergium dixit: *unam voluntatem facemur Domini nostri JESU Christi*; id eo hoc dixit, quia intellexit nomine unius voluntatis, habuisse Christum unum velle cum voluntate divina, hoc est semper efficaciter voluisse voluntate humana, quod DEUS efficaciter volebat voluntate divina; & qui hunc volendi ordinem servavit, adhuc inter homines dicuntur esse unius voluntatis. Videatur Bernal disp. 50. per totam, ubi Honorius eruditè liberat à calumnia. Præterea Honorius nunquam dixit, unam tantum esse voluntatem in Christo; eo enim ipso, quod sint duæ, verum est dicere, quod est una, si non dicatur esse unam tantum. Imò Severinus Binius tomo 3. Conciliorum in notis supra Concilium Romanum ait: acta synodalia sexti Concilii in his præsertim, quæ de Honorio Pontifice attestantur, Schismaticorum Græcorum impossura ubique depravata esse; unde hæc loca ab Hæreticis opposita nullam vim habere possunt. Agatho verò Papa post annum Domini 673. (hoc enim anno Pontificatum adeptus erat, Honorius verò anno 622.) ut omnem errorem Monothelitarum exterminaret, declaravit, in Christo duas esse voluntates, & duas volitiones, & ex ipso sexta generalis synodus, ut constabit à num. 851.

SECTIO I.

De intellectu, & voluntate Christi, ejusque concordia cum voluntate divina:

854. **A**ssero 1. In Christo sunt duo intellectus, & duæ voluntates cum actibus, sive operationibus distinctis. Hæc Conclusio est de fide, utpote definita in 6. synodo, ut videbimus numero sequenti, tum etiam in Concilio Florentino, & Lateranensi. Probatur facillè: in Christo Domino sunt duæ naturæ cum suis rationalibus proprietatibus, humana nempe, & divina, ac integræ quidem in ratione naturæ, ut constat à num. 608. & 641. atqui naturæ humanæ, & naturæ divinæ debentur intellectus, & voluntates distinctæ, tum etiam distinctæ intellectiones, & volitiones; ergo &c. R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Confirmatur 1. Anima Christi Domini intelligebat, & volebat, aliter non potuisset mereri, neque acceptare liberè præceptum Patris; sed non potest intelligere, & velle per intellectiōnem, aut volitionem increatam, aut per increatum intellectum, & voluntatem, ut constabit, quando agemus de scientia Beata; ergo intelligebat, & volebat per intellectum & intellectiōnem, & per voluntatem, & volitiones creatas, quod idem dicendum est suo modo de natura divina Christi Domini, cui debentur intellectus, & intellectio, voluntas, & volitio increata, cum Deus non possit velle, & intelligere per virtutem & actus creatos, sed increatos; sed exinde apparet, quod in Christo Domino sunt duo intellectus, & duæ voluntates cum actibus seu operationibus distinctis; ergo &c. Confirmatur 2. voluntas creata arguit intellectum creatum: sed in Christo Domino erat voluntas creata cum suis operationibus, seu actibus distincta à divina; ergo & erat intellectus creatus cum suis actibus distinctus ab intellectu divino. Probatur min. ex Matthæi 26. ubi Christus Patrem alloquens ait: *non sicut ego volo, sed sicut tu*: quibus Verbis ostenduntur voluntates, & volitiones distinctæ: ergo &c.

855. **A**ssero 2. humana Christi voluntas nunquam fuit divinæ voluntati contraria. Probatur; quia id definitum est à 6. synodo generali actione 4. contra Monothelitas his Verbis: cum duas autem naturas, duâsque naturales voluntates, & duas operationes confitemur in uno Domino nostro JESU Christo, non contrarias eas, nec adversas ad alterutrum dicimus, sicut à via veritatis errantes Apostolicam traditionem accusant: absit hæc impietas à fidelium cordibus. Confirmatur 1. ratione: si aliquando voluntas humana Christi contraria fuisset voluntati divinæ, maxime fuisset, quando Christus Passioni proximus dixit: Pater, si possibile est, transeat à me calix iste; cum aliunde haberet præceptum moriendi: sed tunc voluntas humana Christi non fuit contraria voluntati divinæ; ergo nunquam. Probatur voluntas humana Christi, qua mortem fugiebat, erat inefficax, & non absoluta, ut constat ex illis Verbis: verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat; & volitio divina erat efficax; atqui volitio inefficax, & non absoluta, neque prohibita, non est contraria volitioni efficaci mortis; ergo &c. Probatur min. voluntas Dei efficax habebat hunc sensum: volo efficaciter, ut humanitas moriatur; & volitio inefficax Christi habebat istum: si possem mortem evitare sine contraventione ad voluntatem divinam, vellem non mori; & huic adjun-

D d d

adjun-

adjugebat aliam mortis volitionem efficacem, *verumtamen non mea &c.* Quæ reddebat hunc sensum: volo efficaciter mori, quando divina voluntas vult, ut moriar: sed isti actus non contrariantur inter se, cum optimè simul non solum in distinctis substantiis, verum etiam in eadem Christi Domini voluntate componantur, nec alter in alterius consortio sit prohibitus.

856. Confirmat. 2. Exemplo mercatoris, qui projicit merces in mare causâ alleviandi navigium, ut sic vitam conserveat, quam alioquin certissimè amitteret; hic enim ad instar volitionum Christi duas habet simul volitiones; altera est conservandi, & retinendi merces, propter quam facit, quantum potest, ad eas conservandas, & quia nihil utilius occurrit ipsi, quàm orare DEUM, id facit quàm enixissimè potest; altera volitio est non moriendi in ea tempestate, & hæc secunda est appetitativè fortior, & absolutè efficax, & declaratur hoc modo: volo quantum in me fuerit, non mori in hac tempestate: unde prior illa volitio retinendi merces non erat absoluta, & efficax, cum per illam non diceret; volo efficaciter merces non projicere; vult enim efficaciter illas projicere, & defacto projicit; ideoque solum dicit: vellem eas non projicere, & licet hæc volitio in ordine ad aliquod medium, scilicet orandi DEUM efficax sit, in ordine tamen ad non projectionem inefficax est, nec in illis volitionibus reperitur illa contrarietas, nec repugnantia, ne simul sint in eadem mercatoris voluntate, cum altera in alterius consortio non sit prohibita; ergo neque sunt contrariæ, licet reperiantur in diversis voluntatibus, nempe in divina, & humana. Confirmatur 3. Illa secunda mercatoris volitio erat ista: volo non mori in hac tempestate, altera: volo projicere merces, ne moriar, vellem non projicere, sed evadere absque illarum projectione; quæ quidem volitiones contrariæ non sunt, neque in linea physica, neque in linea morali, cum altera in alterius consortio non prohibetur; unde absque ulla repugnantia reperiuntur in eadem voluntate; sed similes fuerunt illæ volitiones in Christo, ut constat ex numero superiori; ergo &c. & ex hoc manet solum argumentum Adversariorum, quod contra hanc doctrinam ipsi objicere conantur.

857. Affero 3. Neque de potentia absoluta voluntas humana Christi potuit aliquid efficaciter velle contra efficacem voluntatem divinam. Omissis variis discurrendi modis apud Cardinalem de Lugo disput. 2. Probatum facile conclusio: quia quidquid DEUS vult circa Christum, pertinet ad statum Christi, ac proinde cognoscitur à Christo: atqui Christus cognoscens aliquid esse juxta efficacem, & omnino absolutam voluntatem Dei, non potest contra illud ire; ergo &c. Confirmatur: vel Christus cognosceret esse contrarium absolutæ Dei voluntati suum actum, vel non? si primum; ergo peccabat, quod impium est:

si secundum; ergo nullo modo potest humana voluntas Christi contraria esse divinæ. Quomodo autem esset liber, si non posset operari contra id, quod Deus absolute velle infra constabit.

Objicies 1. contra primam assertionem: voluntas est domina sui actus: sed in Christo non poterat voluntas creata esse domina sui actus, eò quod teneretur sequi naturam, & morum voluntatis divinæ: ergo non fuit in Christo voluntas creata, ac proinde neque intellectus creatus. Confirmatur. Honorius I. dixit, esse in Christo unam voluntatem: ergo non sunt duæ. Respondeo dist. maj. est domina sui actus relatè ad actum liberum, conc. ad actum necessarium, nego maj. & distincta min. nego consequentiam; quia relatè ad actum liberum poterat Christus agere unum ex duobus contradictoriis, quin contraveniret voluntati DEI, utrumque relinquenti Christi benedictio. Ad Confirm. dist. ant. esse unam voluntatem tantum, nego, esse reverà unam sine exclusione alterius, quamvis non habeant differentiam in volendo, conc. antec. & nego consequentiam; quia dicere in hoc sensu, quod est in Christo una voluntas, non est excludere alteram, sed tantum excluditur dissimilitudo inter unam, & alteram. Quare autem Verbum non possit supplere in humanitate rationem intellectus creati, aut creatæ voluntatis, diximus supra, quia nempe humanitas intelligit sua intellectione, & vult sua volitione; & non potest intelligere, & velle intellectione, & volitione increata, sed creata, ac proinde forma humanitatis non solum perficit, sed etiam perficitur, & est pars, quod Verbo repugnat. Videantur Divus Thomas num. 589. & plura Scripturæ testimonia à num. 246.

Objicies 2. contra secundam assertionem: Marci 7. dicitur: *Christum aliquando voluisse latere, & non potuisse*; unde sic formatum argumentum: hæc Christi voluntas, qua latere voluit, & non potuit, fuit humana; ergo fuit contraria voluntati divinæ. Probatum consequenter. Ex eo, quod Christus latere non potuerit, legitime inferitur, quod DEUS habebat voluntatem efficacem, ne Christus lateret; ergo si DEO nolente humana Christi voluntas latere voluit, fuit contraria divinæ voluntati. Respondent aliqui, humanam voluntatem Christi non fuisse divinæ contrariam, quia Deus habebat duas volitiones, unam efficacem, qua volebat Christum non latere, & alteram inefficacem, qua volebat latere adhibitis mediis naturalibus; & Christum habuisse etiam alias duas similes volitiones, alteram, qua latere noluit efficaciter, & alteram, qua voluit ineffaciter adhibitis mediis naturalibus, quibus positus latere non potuit; unde voluntas humana Christi omnino fuit divinæ conformis. Cæterum hæc responsio non placet, quia ex illo Marci testimonio probat Agatho Papa, datū in Christo duas voluntates: atqui si in DEO fuisset

fuisse actus inefficax, quo nollet Christum latere, & actus efficax, quo vellet latere, non posset probari, dari duas voluntates in Christo: ergo non habuit DEUS illum actum inefficacem simul cum efficaci. Quare

860. Respondeo, DEUM voluisse efficaciter, Christum non latere, & Christum voluisse etiam efficaciter non latere, & rursus voluisse etiam inefficaciter latere, ad quod applicuit media naturalia, quæ in illis circumstantiis se se offerebant; ex quo optime probatur, dari duas voluntates in Christo, quia Christus applicans media, quæ potentia naturali se se offerebant in illis circumstantiis, non potuit latere, ac proinde hæc non erat voluntas divina, quia hæc applicando media, quæ DEUS in illis circumstantiis cognoscebat, & applicare poterat, finem suum consequeretur, & Christus potuisset latere; ideoque illa voluntas Christi fuit humana; sed quia fuit inefficax, & illa inefficax volitio non erat à DEO prohibita, non fuit contraria divinæ voluntati efficaci, ut constat à num. 855. Hinc fit, voluntatem humanam efficacem, & absolutam Christi semper adimpleræ fuisse ex speciali Dei providentia ex directione saltem scientiæ mediæ regulata; voluntas verò inefficax Christi non semper fuit impleta, ut ex dictis constat, neque hoc est absurdum; nam neque volitio divina inefficax consequitur omnes suos effectus particulares, ut patet in ista: volo omnes homines salvos fieri.

861. Obijcies 3. contra tertiam assertionem: si voluntas creata Christi non posset esse de potentia absoluta divinæ voluntati contraria, non fuisset libera in Christo, ex Augustino desinente liberum arbitrium, esse potestatem eligendi bonum, & malum; atqui fuit libera in Christo: ergo &c. Respondeo nego maj. quia posset eligere bonum, & malum, est proprium liberi arbitrii potentis peccare, & in hoc sensu loquitur Augustinus: id autem non convenit libero arbitrio impotenti peccare; quale erat liberum Christi arbitrium, & patet etiam in Deo, qui liber est, & peccare non potest: sed de his statim.

SECTION II.

De Impeccabilitate Christi Domini.

862. **A**ssero 1. Voluntas humana Christi peccare non potuit in sensu composito unionis hypostaticæ. Probat 1. ratione nostra fundamentali: neque anima, neque voluntas, neque Christi humanitas est proximè potens operari, nisi completa sit substantiâ, qua subsistat, & ultimo compleatur in linea substantiæ, ut sit proximè expedita ad agendum, ut constat à num. 592. ideoque actiones naturæ incompletæ sunt actiones naturæ subsistentis vel in alio, vel per partialem suam subsistenti-

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

am, & actiones naturæ completæ sunt actiones suppositorum, ut constat à num. 602. unde cum anima, voluntas, & humanitas Christi nullam unquam aliam substantiam neque in ictu oculi habuerint, nisi substantiam Verbi, ut constat ex sexta Synodo generali citata num. 696. nunquam fuit proximè potens elicere actionem aliquam, quæ non esset actio divini Verbi; atqui essentialiter repugnat peccatum Verbo divino, cum DEUS sit essentialiter impeccabilis: ergo humana Christi voluntas peccare non potuit in sensu composito unionis hypostaticæ. Confirmatur 1. Si posset peccare, vel id esset præscindendo à complemento habito per Verbi substantiam, vel non præscindendo: sed nullo modo peccare potest; nam si præscindatur à substantia, eo ipso præscinditur à virtute proximè operativa; si non præscindatur, eo ipso actio illa erit actio Dei, Deoque imputata, ac proinde non poterit esse peccaminosa; ergo &c.

863. Probat 2. ex aliorum principiis: vel peccaret de potentia ordinaria, vel absoluta: sed nullo modo potest: ergo &c. Min. quoad primam partem est certa apud ferè omnes, quia humanitas propter unionem hypostaticam perfectius sanctificatur à sanctitate divina, vel à gratia habituali intensissima, quam sanctificentur puri homines à gratia habituali: sed in puris hominibus nequit gratia naturaliter conjungi cum peccato: ergo neque humanitas Christi in sensu composito unionis hypostaticæ: quoad secundam partem probatur: Persona divina nequit habere peccatum: sed si humanitas Christi in sensu composito unionis hypostaticæ haberet peccatum, personæ divinæ attribueretur peccatum; ergo &c. Probat 2. min. ratione communicationis idiomatum: si humanitas patitur, tota persona divina dicitur pati; ergo si humanitas peccaret, tota persona divina diceretur peccare.

864. **A**ssero 2. Humanitas Christi peccare non potuit destruendo unionem hypostaticam per peccatum. Probat 1. Si humanitas Christi unita Verbo peccaret, licet per peccatum destrueretur unio, DEUS etiam peccaret, ut constat à num. 862. sed DEUS peccare non potest; ergo nec humanitas Christi unita Verbo, esto per peccatum destruenda foret unio. Confirmatur. Specialius attinet ad Verbum cura, & regimen humanitatis subsistentis in ipso, quàm ad Dominum cura servi, ad maritum cura, & regimen uxoris, ad Patrem cura, & regimen filii; cum humanitas Christi non aliter fuerit proximè operativa, nisi ut subsistens in supposito divino, quod in creatis dici non potest de filio respectu patris, de uxore respectu mariti, nec de servo respectu Domini: sed peccata, quæ ob defectum curæ, & regiminis committunt servi, uxores, & filii, imputantur Domino, marito, & patri: ergo peccata, quæ committeret humanitas Christi, imputarentur DEO. Confirmatur 2. Licet per peccatum

pp d 2

tuna

tum v. g. intemperantiæ filius delineret esse filius, si ob negligentiam paternæ curæ filius committeret tale peccatum, quo delineret esse filius, illud peccatum filii etiam imputaretur Patri; ergo licet per peccatum v. g. intemperantiæ humanitas Christi amitteret unionem cum Verbo, illud peccatum imputaretur etiam Verbo.

865. Probatur 2. Ab aliis: non repugnat gratia Dei, qua humanitas ita reddatur impeccabilis, ut non possit committere peccatum, quo gratiam illam amittat: sed nulla gratia Dei potest sanctificare humanitatem perfectius, quam ipsa sanctitas divina: ergo media unione hypostatica, ita sanctificatur humanitas Christi à sanctitate divina, ut non possit committere peccatum, quo divinam sanctitatem, & unionem hypostaticam amittat: maj. certa apparet, si autem, assignent Adversarii repugnantiam, quare Deus non habeat potentiam, ut id efficiat. Min. verò probatur; sanctitas increata Dei, utpote simpliciter infinita continet eminenter omnem rationem, & perfectionem sanctitatis possibilis; ergo & continet perfectionem illius gratiæ, qua redderetur humanitas ita impeccabilis: atqui humanitas Christi media unione hypostatica sanctificatur à sanctitate increata; ergo etiam redditur ab illa impeccabilis, ut non possit committere peccatum, quo unionem hypostaticam, & sanctitatem illam amittat.

866. Objicies 1. Contra primam Assertionem: humanitas Christi ex præcisa unione cum Verbo non est perfectior, quam sine illa: sed sine illa posset naturaliter peccare; ergo & cum illa. Confirmatur: licet substantia Verbi sit immortalis, non reddit humanitatem immortalem; ergo licet sit impeccabilis, non reddit humanitatem impeccabilem. Respondeo retorqueo argumentum: humanitas non est perfectior cum illa unione, qua sine illa: atqui sine illa non habebat jus ad gloriam; ergo nec cum illa. Deinde dist. maj. non est perfectior perfectione habita per identitatem conc. perfectione habita per substantialem unionem nego maj. & concessa min. nego conseq. Ad Confirmat. retorqueo argumentum; licet substantia sit immortalis, non reddit humanitatem immortalem; ergo licet sit substantia, non reddit humanitatem substantentem. Resp. deinde nego conseq. quia impeccabilitas provenit ab illa perfectione, ratione cujus actiones humanitatis sunt actiones DEI, ac proinde non possunt esse peccaminosæ; cumque hoc sit munus substantiæ, ea de causa ratione diviniæ substantiæ manet humanitas impeccabilis, non tamen exinde manet immortalis, quia mortalitas in natura assumpta non repugnat DEO, cum non sit malum morale, sed purè physicum; unde potest DEUS in natura assumpta velle efficaciter mortem, & non potest velle efficaciter peccatum: velle quippe efficaciter mortem in natura assumpta est e-

xercitium domini, quod Deo non repugnat velle autem efficaciter peccatum est exercitium iniquitatis; quod repugnat Deo. Præterea attributum divinæ sanctitatis non est purè determinativum ad intra, ac proinde potest denominare humanitatem sanctam, & impeccabilem; at verò attributum divinum immortalitatis est prædicatum purè determinativum ad intra; ac proinde non potest denominare humanitatem, ut fusè dicemus disputatione sequenti.

Objicies 2. Contra secundam assertionem: tota repugnantia, quæ datur in Christo Domino ad peccandum, est, ne sanctitas divina conjungatur cum peccato: sed si per peccatum humanitatis destrueretur unio hypostatica, non conjungeretur cum peccato; ergo de potentia absoluta potest humanitas peccare destruendo unionem hypostaticam. Resp. 1. nego min. quia si humanitas peccaret, sanctitas divina non contineret omnem perfectionem, & rationem formalem sanctitatis, nec sanctificaret eminenter humanitatem, & quantum humanitas sanctificari posset. Cæterum, ne contendamus de voce, respondeo 2. dist. maj. ne conjungatur cum peccato in humanitate, cum qua maneret unita ne: cum peccato, quod Deo imputaretur ratione peccantis humanitatis, conc. maj. & dist. min. nego conseq. quia licet supponamus, in eo casu destruendam unionem hypostaticam, ac proinde Deum non manfurum unitum humanitati eo peccato infectæ; attamen manente illa sine unione, maneret Deus cum peccato, quod ipsi imputaretur propter peccatum illius humanitatis, cujus Deus specialem curam gerebat, & in quo humanitas subsistebat; unde cum actiones sint suppositorum, illud peccatum humanitatis esset peccatum Dei. Ex dictis

Fit 1. Humanitatem Christi solum habere potentiam remotam ad peccandum, non autem proximam. Fit 2. Humanitatem peccatoris in instanti, in quo remitteretur peccatum, manere assumptibilem à Verbo, quia tunc Verbum non fuisset specialis causa peccati, ante unionem ab illa humanitate comissi; nec in illa assumptione reperitur indecentia, sed potius summa Dei misericordia. Fit 3. Humanitatem peccatoris non posse assumi retento peccato. Ratio est primò, quia sanctitas divina est essentialiter incomponibilis cum peccato in eodem supposito. Secundò, quia DEUS in instanti assumptionis esset specialis causa conservativa illius peccati contra suæ sanctitatis exigentiam, & contra curam, & regimen illius humanitatis, quam in eo instanti assumptionis jam haberet substantialiter unitam sibi secundum substantiam, ac proinde cum peccatum imputaretur ipsi DEO.

* *

SECTIO

S E C T I O III.

De concordia libertatis Christi cum ejus
impeccabilitate.

869. **H**æc est præcipua hujus disputationis difficultas. Ratio dubitandi est, quia Christus non potuit habere libertatem contrarietatis in ordine ad ponendam actionem bonam, vel malam: unde solum potest illi concedi libertas contradictionis ad ponendam actionem bonam, vel ad illam non ponendam: atqui in observandis præceptis Dei adhuc non potuit habere istam libertatem cum sui impeccabilitate; siquidem Christus fuit impeccabilis per naturam; ergo nullam habuit libertatem. Probatum min. posito præcepto divino moriendi, Christus non potuit non mori; ergo nec potuit habere libertatem contradictionis. Ant. prob. si Christus non moreretur, peccaret transgrediendo præceptum Dei: sed non potuit peccare; ergo non potuit non mori. Hæc est tota difficultas, pro qua solvenda variae sunt Authorum sententiae.

870. Respondent 1. Aliqui Thomistæ, Christum fuisse liberum, quia poterat non mori in sensu diviso præcepti, si nempe, ut ipsi se explicant, Deus illum divideret à præcepto; licet in sensu composito præcepti non possit non mori. Contrà tamen; præceptum moriendi in sententia Thomistarum omnino independens erat à voluntate Christi, non minus, quam physica præmortio, & illo posito ita necessario mors ponenda erat, ut si non poneretur, nec Christus esset Christus, nec DEUS esset Deus; ergo posito illo præcepto Christus nullam libertatem habuit proximam ad non moriendum. Probatum consequ. in primis per vos non habuit libertatem in sensu composito præcepti, deinde neque in sensu diviso; ergo nullam. Probatum 2. pars antec. ut haberet libertatem proximam in sensu diviso, requirebatur, quod Christus posset pro libito suo se dividere à præcepto; sicut ego, quando sedeo, sum liber ad ambulandum, quia pro libito meo possum me dividere à sessione; sed Christus per vos non poterat pro libito suo se dividere à præcepto, utpote omnino independente à voluntate Christi; ergo posito præcepto moriendi non habuit Christus libertatem proximam in sensu diviso ad non moriendum.

871. Respondent alii 2. Christum fuisse liberum, quia unio hypostatica, non immutabat in Christi Domini humanitate naturalem modum operandi, & exinde absque læsione libertatis præceptum illud fuisse impositum ex directione scientiæ mediæ; cum enim illa humanitas, si non haberet unionem hypostaticam, esset libera ad adimplendum vel non adimplendum præceptum; ita etiam erat libera, posita unione hypostatica. Contrà tamen: unio hypo-

statica immutat in Christo Domino intrinsicum modum operandi proximum; ergo non potuit hoc modo retinere libertatem; Probatum consequ. licet humanitas sine unione hypostatica, & cum propria subsistentia esset proximè libera, & expedita ad actum peccaminosum, at cum unione hypostatica non esset proximè libera, & expedita ad actum peccaminosum, cum essentialiter reddat Christum impeccabilem, ut constat à num. 863. Confirmatur 1. licet humanitas Christi, si non haberet unionem hypostaticam, posset transgredi præceptum committendo peccatum; at id non potest in consortio unionis; ergo in humanitate Christi in ordine ad peccandum ratione unionis hypostaticæ immutatur intrinsicè, & proximus modus operandi. Confirmatur 2. hypothesis scientiæ mediæ est proximè expedita, & indifferens ad utrumque; atqui humanitas Christi nunquam prævisa est proximè expedita, & indifferens ad peccatum, & carentiam peccati, ut constat à num. 862. ergo non potuit ex parte hypothesis scientiæ mediæ prævideri expedita ad peccandum, neque ex eo titulo potuit imponi præceptum ex directione scientiæ mediæ.

Respondent alii 3. Adhuc posito præcepto fuisse Christum liberum, quia potuit liberè acceptare mortem in ordine ad istud vel illud motivum, pro hoc, vel alio tempore, licet absolute non posset Passionem, Crucem, & mortem evadere. Contrà tamen: si Christus solum fuisset liber, quatenus poterat mortem acceptare ex hoc vel illo motivo, hoc, vel illo tempore, solum fuisset liber quoad circumstantias mortis: atqui Christus non solum fuit liber quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam mortis per passionem, & crucem, ut constat ex pluribus Scripturæ locis, præsertim ad Philipenses 2. *factus est pro nobis obediens usque ad mortem*; Ilaïæ 3. *oblatus est, quia ipse voluit*; & Joannis 10. *nemo tollet animam meam à me, sed ego ponam eam à me ipso*; in quibus insinuat obedientia, & libertas quoad substantiam mortis per passionem, & crucem; quod non ita contingit in Martyribus, qui liberè subeunt Martyrium; nam ad tale Martyrium non requiritur, quod possint absolute fugere mortem; sunt enim mortales, & aliquando morituri sunt, quamvis Martyrium non subirent; unde fat illis est, quod ex motivo, & propter motivum Religionis occidantur, illique mortem ex tali motivo libenter pro Christo acceptent; jmo Martyrium potest esse absque libertate, ut patet in parvulis: Christus autem quoad substantiam mortis fuit liber, ut ex allatis testimoniis constat; ergo &c.

Respondent alii 4. Christum fuisse liberum posito præcepto, quia præceptum illud non fuit strictum, sed latum; cum non obligaret Christum sub præcepto adhuc levissimo, vel imperfectione morali; unde potuit absolute non mori. Contrà tamen 1. Christus Domi-

nus volendo mortem fuit verè, & propriè obediens, ut constat ex Paulo ad Philipenses 2. *factus est obediens usque ad mortem; mortem autem crucis.* Quod repetit ad Romanos 5. & testantur omnes Scripturæ; unde Bernardus ait: Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam; atqui vera, & propria obedientia præsupponit verum & proprium præceptum, obligans quidem vel sub gravi, vel sub levi, vel saltem sub imperfectione moralis; ergo &c. Prob. min. obiectum obedientiæ est conformitas cum voluntate superioris, ut à non superiori distinguitur; atqui superior solum differt à non superiore in voluntate obligante, quæ propriè præceptum est; velle enim & consulere fieri potest ab æquali, cujus etiam voluntati, & consilio potest alter ipsi æqualis conformari: idcirco obedientia est vera submissio debita in linea morali, ita, ut transgressio sit vera inobedientia, & peccatum, si præceptum obliget sub culpa gravi, vel levi, aut saltem erit moralis imperfectio, si præceptum obliget tantum sub pœna, ut obligare solent constitutiones, & Regulæ aliquarum Religionum; siquidem in linea morali non est alia obligatio, nisi vel sub culpa, vel sub pœna, id est vel peccato, vel sub imperfectione morali; ergo &c. Quare cum aliqui Patres, ut Chrysostomus, Cyrillus, Anselmus, & alii dicunt, Patrem consuluisse Christi mortem, non exinde negant præceptum, sed addunt, illud consilium habitum fuisse à Christo loco præcepti, quia habitum est, ut revera erat continens vim præcepti; eò enim ipso, quòd sit præceptum, est etiam consilium, licet non e contra; sicut eò ipso, quòd aliquis est homo, est animal, licet aliàs possit esse animal, quin sit homo, ut patet in Leone; cum enim Patres omnes agnoscant in Christo rigorosam obedientiam, agnoscunt etiam rigorosum præceptum; unde nulla tener paritas ad intensissimam amicitiam, ad quam in linea morali non obligamur; ideòque, qui eam non habet, non exinde est inimicus; id enim dici non potest de obedientia, quia cum ad ipsam obligemur, necesse est, ut ejus omissio in sensu composito præcepti sit inobedientia.

374.

Contra 2. Præcepta absolutis verbis imposita sunt præcepta rigorosa, ac proinde obligantia sub peccato, vel saltem sub imperfectione morali; præceptum enim constringit subditum in linea morali, quod fieri nequit, nisi constringatur sub culpa vel pœna; unde erit inobediens, qui in sensu composito præcepti rem præceptam omittit, vel præceptum transgreditur: sed tale fuit præceptum Christo impositum; ergo &c. Min. patet ex loco citato ad Philipp. 2. cum & Joannis 10. *Hoc mandatum dedit mihi Pater, & 11. sicut & ego Patris mei præcepta servavi;* & ad Romanos 1. *per unius obedientiam iusti constituuntur multi.* Maj. verò probatur: præceptum in eo distinguitur à consilio pure tali, quòd consilium præcisè do-

cet rem meliorem, ut is, qui docetur, si velit, illam sine obligatione faciendi faciat; ac verò præceptum rem proponit, ut superior constringatur rem fieri ab illo, cui præcipit; ergo &c.

Respondeo igitur, Christum adhuc positum præcepto fuisse liberum, quia erat liber ad acceptandum præceptum, ut censent Cabreræ, Prudentius, & alii, vel si mavis, ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti, ut docent plures cum Card. de Lugo disp. 61. sect. 8. Quare Christus Dominus erat absolutè liber, ut moreretur, vel non, sine transgressionem præcepti; illud enim decretum, quo Deus decrevit mortem Christi, servavit ordinem, quem communiter servant omnia decreta, nempe obligandi, dum non revocentur; hæc enim conditio non est necesse, quòd exprimitur per decretum, cum jam includatur in ipso decreto, & decretum non reflectat supra indispensabilitatem, ut optime notat Emin. de Lugo loco supra citato, ubi fatetur, hanc doctrinam se didicisse ab Eximio Doctore.

Cæterum: ut doctrina ista in ipso fonte clarior appareat, en verba Eximii Doctores lib. 9. de legibus cap. 9. Quòd si pro illo tempore dispensari potest ab ipso Deo, ideò est, quia decretum constituendi legem pro aliquo tempore non includit decretum non dispensandi in illa; nam si fingamus, cum hac reflexione esse positam, consequenter esset lex talis pro tali tempore, & in sensu composito indispensabilis, & cum proportionem posset fingi omnino immutabilis; seclusa autem tali suppositione, & quasi reflexione, ac simpliciter loquendo, lex etiam divina mutabilis esse potest, ac revocari, unde sit, quòd si DEUS in instanti A imposuisset præceptum, ut Christus moreretur in eodem instanti, illud decretum non esset revocabile, cum in eodem instanti non possit simul dari, & non dari, decretum obligans; solum ergo fuit impositum præceptum Christo Domino obligans illum ad moriendum pro aliquo tempore, quandiu non revocaretur.

Probatur assertio nostra quoad primam partem, nempe Christum fuisse liberum ad acceptandum præceptum de morte subeunda, & hanc libertatem satis ipsi fuisse, ut liber moreretur; nam illud præceptum earum fuit Christo impositum, quatenus est fidei iussor, & Redemptorque reparativus, & passibilis, & pro hoc casu Pater voluit, & præcepit, ut Christi merita consummarentur ipsius passionibus, ac morte; neque aliter Christus erat obligatus ad moriendum, vel redimendum nos, ut constat à num. 480. atqui Christus Dominus fuit plenè liber ad acceptandum pactum fidei iussoris nostri, ac proinde ad acceptandum præceptum inclusum in eo pacto, ut constat à num. 474. & num. 489. ergo eadem libertate quæ poterat Christus non acceptare pactum, po-

terat non acceptare præceptum, & mortem, ac proinde erat liber ad non moriendum. Confirmatur 1. Ex eo, quod creatura sit libera ad impediendam prædefinitionem, est quoque libera ad actum prædefinitum: ergo ex eo, quod Christus fuerit liber ad non acceptandum præceptum de morte subeunda, erat quoque liber ad mortem præceptam. Confirmatur 2. Quia, ut colligitur ex Angelico 3. parte quæst. 10. artic. 6. in corp. & ad 2. *Christus in instanti mortis sue non meruit; siquidem status via sumptus pro conjunctione anime ad corpus passibile est conditio necessaria ex divina ordinatione post signum nature lapsæ ad merendum sibi, & aliis, quæ quidem conditio unionis anime ad corpus passibile non datur in instanti mortis, in quo datur separatio; unde relate ad mortem, ad vulnus lateris, & alia subsequenda mortem, eatenus meruit Christus, quatenus ut viator, & caput merendæ liberæ acceptavit: ergo &c.*

378. Probatur jam eadem assertio quoad secundam partem: si enim præceptum moriendi Christo impositum, esset dispensabile, & Christus haberet facultatem ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti, adhuc manebat in Christo libertas consequens præceptum obligans, qua poterat se expedire, & dividere à præcepto, & non mori: sed illud præceptum tale fuit defectu; ergo &c. Probatur min. quia id indicavit Christus Matthæi 26. corrigens ignorantiam Petri, qui videbatur sentire, Christum non potuisse evitare Passionem, & Crucem sibi destinatam; sic enim ait Christus ad Petrum: *an putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum;* docuit enim Christus per hæc verba, posse se post impositum præceptum impedire Passionem, & mortem, ac proinde quidquid ad hoc opus esset; ergo poterat petere, & impetrare ablationem præcepti; siquidem stante præcepto non poterat impetrare ejus violationem; & hic clarè loquitur Christus de potestate humanitatis, cum dicat, se posse impedire rogando Patrem, quod non divinitati, sed humanitati competit; atque in hoc sensu dixit Christus Joannis 10. *nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à me ipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo;* in eodem sensu accipitur illud Isaïæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit;* hæc enim explicatio, cum valde consentanea sit his Scripturæ testimoniis, & in Christi laudem redundet, non est, cur Christo denegetur, ex dictis num. 819. ergo &c. Ex quo apparet, Christum Dominum non uno tantum, sed duplici titulo fuisse liberum ad mortem præceptam.

SECTIO IV.

Solvuntur Opposita.

179. **O**bjicies 1. ex Gonnet contra primam partem assertionis: obedientia Christi fuit

perfectissima: sed perfectior est obedientia, quo præceptum minus pender à subditi voluntate; ergo Christus non fuit liber ad acceptandum, vel non acceptandum præceptum. Confirmatur 1. Charitas DEI erga homines ex eo maximè commendatur ad Romanos 8. *quia proprio Filio suo non pepercit, sed tradidit illum pro nobis omnibus:* sed si Christus fuisset liber ad acceptandum præceptum, non ita commendaretur charitas Dei, sed potius Christi, qui sibi ipsi non pepercit, sed potius acceptavit præceptum: ergo &c. Confirmatur 2. Christus non fuit liber in observatione præceptorum naturalium ex libertate ad ea non acceptanda; ergo neque fuit ita liber in morte subeunda. Respondet conc. maj. & nego min. quia perfectio obedientiæ non stat in eo, quod præceptum pendeat, vel non pendeat quantum ad acceptationem, à voluntate subditi, sed in eo, quod subditus, dum est præcepto ligatus, se conformet perfectissimè cum voluntate superioris; cumque Christus perfectissimè se conformaverit, exercuit procul dubio perfectissimè obedientiam. Sic fuit perfectissimè Redemptor, licet dependerit à Christi Domini voluntate mereri nobis, vel non mereri redemptionem.

Ad primam Confirmationem conc. maj. & nego min. si enim Adversarius dubitare non potest, imò ut Catholicus concedere tenetur, quod charitas Dei non impedivit charitatem Christi erga nos, verum erit dicere, & quod DEUS Filio suo non pepercerit, & quod Christus sibi ipsi non pepercerit ex dilectione, & charitate erga nos: & utrumque perspicuè apparet juxta nostram sententiam, quod non ita facile poterunt explicare Adversarii juxta eorum principia, aut in quo sensu, prout ad præsens attinet, verificetur de Christo Domino illud Pauli ad Hebræos 12. *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem confusione contempta,* ut dicemus n. 885. Ad secundam Confirmationem retorqueo argumentum: DEUS non erat liber ad dispensandum in præceptis naturalibus; ergo neque in præcepto subeundi mortem. Resp. deinde nego consequentiam; quia, cum præcepta naturalia non sint dispensabilia, libertas Christi in eorum adimplerione non pendeat à potestate obtinendi dispensationem; quia tamen poterant adimpleri ex hoc, vel illo motivo, majori, vel minori intensione, erat Christus Dominus liber ad ea hoc, vel illo modo adimplenda; at præcepta positiva, quale est hoc præceptum moriendi Christo impositum, sunt à DEO liberè dispensabilia, ideòque non repugnat Christo Domino potestas, & facultas ad obtinendam eorum dispensationem; imò potius, cum hoc sit congruum, & consentaneum Scripturis à nobis superius adductis, non est, cur denegari debeat Christo Domino facultas ad acceptandum tale præceptum; unde dici oportet vi hujus maximæ prerogativæ, & excellentiæ, fuisse Christum liberum ad subeundam mortem præceptam.

Obji-

881. Obijcies 2. contra secundam partem assertionis: ex hac nostra doctrina sequitur, Christum non meruisse per voluntatem adimplendi præceptum, sed per voluntatem non petendi dispensationem; ergo non est tenenda. Respondeo, nego antec. quia Christus eatenus non vult dispensationem; quatenus vult formaliter mortem præceptam; licet enim posset formaliter nolle dispensationem, quin veller formaliter mortem, ut contendunt aliqui, nihilominus tamen potest etiam eodem actu velle mortem, & nolle dispensationem præcepti; sicut licet unus actus possit esse apprehensio unius objecti, quin sit iudicium, potest nihilominus esse formaliter apprehensio respectu unius, & iudicium respectu alterius. Quare idem etiam actus potest formaliter esse volitio respectu mortis, & nolitio respectu dispensationis; secundo, quia illud est quoad substantiam liberum, quod potest poni, vel non poni pro libito agentis. Cum autem & dispensatio præcepti, & mors possint absolute poni, vel non poni pro libito Christi, utraque fuit quoad substantiam libera Christo.

882. Obijcies 3. instando solutionem: in instanti, in quo Christus peteret dispensationem, supponeretur pro priori naturæ præceptum: sed præsupposito sic præcepto non poterat impetrari dispensatio; ergo Christus in nullo instanti fuit liber ad impetrandam dispensationem. Confirmatur 1. Si Christus obedisset in ultimo instanti, non potuisset consequi dispensationem præcepti; ergo juxta nostram responsionem non fuisset liber. Confirmatur 2. In præceptis naturalibus, v. g. non mentiendi non poterat dari dispensatio; ergo Christus non fuisset liber in ipsorum observatione. Respondeo nego maj. quia pro priori naturæ supponebatur DEUS potens dispensare, & Christus potens petere dispensationem, & impetrare, vel non petere, & sic non impetrare, sicut evenit in legibus humanis; ac proinde, licet in instanti A fuisset præceptum, in instanti B potuisset esse dispensatio, qua posita jam Christus maneret liber ab obligatione moriendi.

883. Ad primam confirmationem nego antec. quia si in ultimo instanti pro signo priori illi instantis Christus impetrasset dispensationem, non manebat in illo instanti præceptum obligans, ac proinde in illo ultimo instanti Christus liberè omnino mortuus fuisset. Ad secundam Confirmationem dist. consequ. non fuisset liber in ipsorum observatione quoad substantiam, conc. quoad circumstantias intentionis, motivi, intensiōis &c. nego consequentiam, ut constat à num. 880. unde magis liber fuit in impletione præcepti moriendi; quia cum meruerit moriendo, vel acceptando mortem, liberè etiam quoad ipsam substantiam mortis, ut constat ex dictis, fuit liber non solum quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam ipsam mortis. Idemque esto de aliis similibus præceptis.

Obijcies 4. Christus, ut nos faceremur, quoad præcepta naturalia solum habuit libertatem quoad circumstantias; sed præceptum moriendi pro hominibus pertinebat in Christo ad præceptum naturale charitatis; ergo &c. Confirmatur. Christus est impeccabilis; ergo ratione præcepti non potuit obligari sub peccato. Resp. conc. maj. & nego min. quia Christus independentè à pacto liberè inito, & à præcepto incluso in eo pacto, non obligabatur ex charitate ad dandam vitam pro nobis, ut constat à num. 480. Ad Confirm. conc. antec. & dist. consequ. sub peccato, quod absolute posset committere, conc. quod committeret, si per impossibile transgrederetur præceptum, nego consequentiam: sic dicimus, quod DEUS, licet non possit peccare, tamen peccaret, si per impossibile mentiretur, aut non adimpleret fidem semel ab ipso datam; unde vi illius præcepti bene inferitur, quod non possit simul componi in Christo utpote impeccabili omittio mortis cum præcepto moriendi; atque ille reversus est effectus, quem præceptum illud operabatur in Christo, sicut patet in fidelitate DEI; nam si DEUS promissit producere Petrum, non potest simul componi omittio productionis cum illa promissione.

Obijcies 5. Si Christus esset liber ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti, non dixisset Matth. 26. *Pater mi si possibile est, transeat a me Calix iste*: sed potius dixisset: *volo, quod transeat; siquidem hoc mihi possibile est, & pendens a mea voluntate*: sed non dixit hoc secundo modo, sed primo illo modo: ergo &c. Confirmatur. Perfectus erat implere præceptum, quam petere ejus dispensationem: atqui Christus erat necessitatus ad actus magis perfectos; ergo etiam ad non petendam dispensationem; ac proinde non fuit liber ad petendam, & obtinendam dispensationem præcepti. Respondeo nego maj. quia licet Christus posset petere, & obtinere dispensationem præcepti, eamque obtinuisset, adhuc manens captivum, & absque redemptione reparativa generis humanum; siquidem Pater non aliter volebat admittere Christi satisfactionem, & merita pro redemptione hominis lapsi, nisi morte sua consummarentur, ut constat à num. 489. Christus autem propter maximam ipsius erga nos charitatem efficaciter volebat esse Redemptor noster reparativus, modò, quo Pater volebat admittere redemptionem, ideoque voluit petere dispensationem præcepti, quod significavit Paulus ad Hebræos 12. *propositio filii gaudio sustinuit Crucem confusione contempta*; & Iaias 13. *oblatus est, quia ipse voluit*; unde non obstante libertate ad obtinendam dispensationem illius præcepti, rectissime dixit: *Pater mi, si possibile est &c.* Ad Confirmationem committo maj. & dist. min. ad actum perfectum præ imperfecto, conc. præ minus perfecto, nego min. & consequentiam; nam aliud est, actum esse minus perfectum, & aliud, esse positive imper-

imperfectum. Christus enim non poterat efficere actum positivè imperfectum, poterat tamen minus perfectum; quia, quando faciebat actum valde intensum, poterat pro libito suo facere minus intensum; imò quando faciebat actum bonum, poterat illum non efficere, licet tunc non posset actum bonum omittere ad faciendum malum, sed vel ad faciendum actum indifferentem ex natura sua, si iste nullam in Christo dicat implicantiam, vel ad purè omittendum, si possibilis sit pura omisso libera, vel ad alium actum minus intensum, aut in alia specie virtutis magis, vel minus perfecta; unum enim ex his requiritur ad salvandam in Christo Domino libertatem.

ad actum magis perfectum præ minus perfecto, manente tamen potentia physica proxima ad minus perfectum; ad eum quippe modum, quo nos sine speciali gratia DEI sumus moraliter necessitati ad committendum per longum tempus aliquod veniale, manente tamen potentia physica proxima ad illud non committendum; aliter non haberemus libertatem ad peccandum; ille enim perfectior modus operandi est valde consentaneus Christo Domino; nec refert, quòd non admittatur in Deo talis moralis necessitas, quia actus DEI independenter ab objecto extrinseco per suam essentiam sunt essentia aliter infiniti, & intrinsecè laudabiles, secus autem actus creati Animæ Christi.

886. Cæterum hic notat Cardinalis de Lugo sect. 10. num. 134. ratione unionis, & visionis beatificæ fuisse Christum necessitatum moraliter

* * *

DISPUTATIO XXI.

DE GRATIA CHRISTI DOMINI SUBSTANTIALI.

887. Christum Dominum ab ipso conceptionis exordio fuisse Sanctum, adeò certum est, ut nemo vertatur in dubium; imò Martinus Perez disp. 17. sect. 1. probat, esse de fide ex variis Scripturæ testimoniis, quæ ibi congerit. Quod igitur inter Theologos controversatur, solum est, per quam gratiam sanctificetur Anima Christi Domini, an scilicet per incretam, & substantialem, an verò per creatam, & accidentalem. Nunc agemus de sanctitate Christi Domini substantiali, acturi Disputatione sequenti de ipsius sanctitate accidentali.

SECTIO I.

An Christi Domini humanitas sanctificetur per sanctitatem substantialem incretam?

888. Quæstio ista variè exagitur à Theologis; cum enim sanctitas substantialis increta juxta communem sententiam multiplex sit, nempe natura divina, omniàque prædicata absoluta, & relativa, de his omnibus disputandum est; tum etiam de unione hypostatica, quæ licet sit creatura, substantialis tamen sanctitas est. Cæterum, antequam ad particularia descendamus, oportet primò inquirere, an per aliquam sanctitatem incretam sanctificetur humanitas Christi Domini? & deinde, quænam sit hæc sanctitas increta? Circa primum docuerunt plures antiqui apud Aldre disp. 45. sect. 1. humanitatem Christi Domini non sanctificari sanctitate increta; idemque propugnant communiter Scotistæ, quos citat, & sequitur Bartholomæus Durandus disp. 10. quæst. 1. Oppositum autem tenent R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

communiter Thomistæ, & Nostri cum Exim. Doctore disp. 18. sect. 1. & Vasquez disput. 41. cap. 3. Cum quibus

889. Affero 1. Christi humanitas verè sanctificatur per sanctitatem incretam. Probat 1. ex illis Scripturæ testimoniis, in quibus Christus Dominus unctus dicitur, ut in Psal. 44. Isaia 8. Danielis 9. & Luca 4. per quæ unctio in intelligunt SS. Patres excellentiorem humanitatis sanctificationem, quam per solam gratiam habitualement. Imò Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ hæc specialem Christi Domini excellentiam desumit ab ipsa divinitate, prout humanitatem sanctificat: inquit enim Concilium, *JESU M Christum fuisse naturà unctum, alios autem gratiâ*: unde sic arguo; atqui alios ungi gratiâ, est sanctificari gratiâ; ergo Christum ungi naturà divinâ, est sanctificari naturà divinâ, sive divinitate. Confirmatur. Apud Patres idem est esse unctum, ac esse sanctum; unde in Scriptura Justus & Sancti vocantur Christi, quod idem est, ac uncti. Sic Psalmo 10. *nolite tangere Christos meos*; sed Christi humanitas est substantialiter uncta à divinitate, ut constat ex Nazianzeno Orat. 36. ubi ait: *Christus dicitur propter divinitatem; eâ enim uncta est humanitas*: ergo &c.

890. Respondebis 1. ex Scotistis ea Scripturæ, & Patrum testimonia intelligenda esse de humanitate substantialiter uncta in ordine ad cultum Patriæ; secus autem in ordine ad vitam æternam, seu sanctificationem. Contra tamen 1. Humanitas puræ creature per gratiam sibi accidentaliter unitam non solum ungitur in ordine ad cultum puræ creature debitum, sed etiam in ordine ad vitam æternam, & sanctificationem; ergo humanitas Christi Domini per gratiam

E e e